

*possunt. Est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem quid potius dixeris, quam Deum? Etenim si dii non sunt, quid potest esse in rerum natura homine melius? in eo enim solo ratio est, qua nihil potest esse praestantius. Esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius quam se putet, desipientis arrogantiae est. Ergo est aliquid melius. Est igitur profecto Deus. An vero, si domum magnam pulchramque videris, non possis adduci, ut, etiam si dominum non videas, muribus illam et mustelis aedificatam putes: tantum ornatum mundi, tantam varietatem pulchritudinemque rerum coelestium, tantam vim et magnitudinem maris atque terrarum intuens, si non hoc deorum immortalium domicilium putes, nonne plane desipere videare? An ne hoc quidem intelligimus, omnia supera esse meliora? terram autem esse infimam, quam crassissimus circumfundat aër? ut ob eam ipsam causam, quod etiam quibusdam regionibus atque urbibus contingere videmus, hebetiora ut sint hominum ingenia propter coeli plenioram naturam, hoc idem generi humano evenerit, quod in terra, hoc est, in crassissima regione mundi, collocati sint.*

Et tamen ex ipsa hominum sollertia esse aliquam mentem, et eam quidem acriorem et divinam, existimare debemus. *Unde enim hanc homo arripuit?* ut ait apud Xenophontem Socrates. Quin et humorem, et calorem, qui est fusus in corpore, et terrenam ipsam viscerum soliditatem, animum denique illum spirabilem, si quis quaerat, unde habeamus, apparet: quod aliud a terra sumsimus, aliud ab humore, aliud ab igne, aliud ab aëre eo, quem spiritu ducimus: illud autem, quod vincit haec omnia, rationem dico, et si placet pluribus verbis, mentem, consilium, cogitationem, prudentiam, ubi invenimus? unde sustulimus? An cetera mundus habebit omnia, hoc unum, quod plurimi est, non habebit? atqui certe nihil omnium] rerum melius est mundo, nihil praestabilius, nihil pulchrius: nec solum nihil est, sed ne cogitari quidem quidquam melius potest.